



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

In festo S. Francisci Xaverii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](#)

XVI

EXHORTATIO I.

DE S. FRANCISCO XAVERIO,

Indiarum Apostolo, quem ostendit fuisse stellam matutinam
in medio nebulae.

THEM A.

*Quasi stella matutina in medio nebula; sic ille resulſit in
templo Dei. Eccli. 50. 6.*



Tella matutina,
græcè Phosphorus, latine Lucifer, dicta, inter
nebulas tralu-
cens, solisque
ortum præcur-
rens ac prænum-
tians hominibus, post longas noctis te-
nebras lucem præstolantibus gratissi-
ma accedit & blando, argenteoque ni-
tore oculos eorum demulcat. Simili-
modo, ait Ecclesiasticus. Simon Ponti-
fex post longas captivitatis Babyloni-
æ & Ægyptiacæ, sub Ptolomæo Lagi, calamitates, errores & vitia, velut Lu-
cifer inter nebulas resulſit, tum popu-
lum suâ maiestate & beneficentia exhibi-
tarans, tum verbo & exemplo eidem
prælucens. *Quasi stella matutina in medio
nebula, sic ille resulſit in templo Dei. l. c.*
Idem encomium, Gregorius IX. Sum-

mus Pontifex S. Franciso Seraphio
tribuit: dum enim eundem Sanctorum
falsis ritu sejenni adscriberet; ipse de
Sancti laudibus faciemè perorans, hinc
verbis, panegyrici auspicatus est: *Quasi
stella matutina in medio nebula, sic ille re-
sulſit in templo Dei. l. c.* Quod Simon
Pontifici tribuit Ecclesiasticus, & Fran-
cisco Affiliati Gregorius, idem jure op-
timo, elogium, video mihi aptare pos-
se Indiarum Apostolo, S. Francisco Xa-
verio. *Quasi stella matutina in medio
nebula, sic ille resulſit in templo Dei. l. c.* Quo-
instar stella non cujuſvis, sed matutina
fulgidioris, resulſit in medio Idolatria
& infidelitatis, in medio nebula vi-
torum & peccatorū, splendidos omni
virtutum & sanctitatis radios emittens.

Hunc igitur sanctum in praefenti
exhortatione stellæ matutina com-
parabimus, & senarum virtutum
ejus radios lucidissimos exponemus.

I, Primus

I. Primus stellæ Xaverianæ radius, est oratio & familiaritas cum Deo : ita ut, quemadmodum stellæ coelio infixa sunt, in celo moventur, sic Virum Apostolicum, omnino necessarium est, esse deditum orationi, ut cum Apostolo dicere queat : *Nostra autem conversatio in celis est.* Cum enim Viri apostolici Dei sint instrumenta in conversione animarum, instrumenta autem conjuncta esse cum cœla principali oportear, idque potissimum fiat mediante oratione, patet quanta ejus sit necessitas ; nisi enim cum Deo conjuncti sint, omnes eorum conatus, conciones, exhortationes, nihil efficiunt : ut autem Deus simul cum instrumento concurrat, non eum permovet, eorum industria, facundia, ingenium, doctrina, sed pia oratio exhumili & ardenti corde profiliens.

Unde Redemptor noster roties Apostolis inculavit orationem : *Petite & accipietis. Matth. 7. Quarite & invenietis, &c. Et oportet semper orare & non desistere Luca 18. & Apostolis ait : Vigilate itaque omni tempore orantes. Luke 21. Vigilate & orate ut non intretis intentationem. Matth. 26.*

Præclare hic radius fulsis in S. Indiarum Apostolo : ipse velut stella, fixus erat in celo, mente & spiritu : si instaret nebula tentationis, fervebat oratio : si dissipanda nebula infidelitatis aut iniuritatis, succedebat oratio ; si esset præmanibus convercio animarum, præcedebat oratio : orationibus, meditationibus, precibus jaculatoriis, suspiriis, amorolis desideriis, affectibus inflammatis, fixus erat in celo, & velut stella

matutina fulgebat in media nebula. Imò ut testatur Bulla Canonizationis pag. 5. tanto spiritus fervore, in orando perleverabat, ut in ea noctes integras transfigeret, siebatque aliquando talis super eum mentis excessus, ut scipium non capereret sed exclamaret, vultu adeo inflammatus, ut Angelicam profus charitatem representaret, & tortus cœlesti quodam igne exardescens, in præsentes quoque pietatis scintillas emitteret, & aspicientes amore divino succenderet.

O Xaveri, Orator potentissime, doce nos quoque rectè orare, doce nos, excuso tempore, inflammatos in Deum affectus evibrare, gratiamque impetrare juva. ut semper in celis converatio nostra existat, in quo velut stellæ fixæ, Deo conjuncti, instrumenta apta animas quamplurimas lucrandi evadamus.

II. Alter stellæ Xaverianæ radius est profundissima Humilitas. Viro Apostolico unicè quoque necessaria ; ut nullatenus sibi fidat, ut in gloriosis laboribus non evaneat, ut solam unius Dei gloriam nequaque verò uam, sincerrimè spectet, & licet magnus sit, magnum se nesciat ; stellæ licet magnitudine sua totum terræ globum longè superent, imò ut Astronomi docent, nulla vel minima in firmamento stella luceat, quæ non decies octies universam terræ sphærā magnitudine excedat. P. Clavius in Sphæra, Prololaus & alii, & tamen parvæ apparent ob distanciam & cœlitudinem, quòque celiores sunt, eo minores esse videntur. S.F.Xaverius, quo major coram mundo fuit, eo in oculis suis minor ; quo celior eo hu-

milior;

13

milior: Licet enim Apostoli Indiarum nomen & omen sultineret, licet Legati Pontificij à larere dignitate fulgeret, vi- lissimi tamen quibusque libens se subiciebat; ad abjectissima quæque of- ficia ultrò se demittebat; imo etiam pe- dissequi, ut cum mercatore, cui se ser- vum addixerat, Urbem Japoniæ ingre- deretur. Cùmque omnibus esset ob lan- ñimoniam, & miraculorum gloriam admirationi, se omnium contem- pnum dignum, miserumque peccatorem & judicabat & profitebatur. Hec est magnorum Dei servorum humilitas; si- cut stellæ sublantiam & quantitatem suam maximam abscondunt, & tantum lucem exiguum instar scintillæ ostendunt, per quam apparent & emicant; sita Sancti se squalque virtutes gratiam & gloriam hominibus abscondunt, & la- tere appetunt; quare opera ipsorum qui- dem lucent, ut homines glorificent pa- trem, qui in celis est, sed ipsi personam suam abscondunt, vellentque non vide- ri, ut homines, videntes opus & non Authorem, illud in Deum, qui est pater omnium referant, cùmque celebrant. Hac praxis erat S. Xaverii, qui in omni- bus non suam, sed Dei gloriam inten- debat.

Utinam & nos hujus Sancti imitare- mur demissione, & servaremus illud Eccli. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & instar stellæ licet magni- parvi tamen & viles haberi prælige- remus!

III. Tertius stellæ nostræ matutinæ radius est Castitas virginea; quæ singu- lari ratione in hoc Indiarum Apostolo eluxit, viroque Apostolico apprimè est necessaria; cum enim is homines carna-

lium vitiorum sordibus collo tensi in- fixos extrahere, & mundum totum in maligno positum, pro viribus eripere & ab hoc sodomæ incendio liberare de- beat; quò pasto mundabit alios, ipse for- dibus ejusmodi oppletus! Sanè lux stel- larum ac in primis stellæ matutinæ pu- rissima est, velut ipsa stella, & licet clo- cas, simeta, cadavera & sterquilinia il- luminet, iis tamen ne vel hilum sedans aut inficitur. Tanta Indiarum Apollinis mentis & corporis puritate, integrata & castitate resplenduit, ut etiam in somnis impuraphantasmata aut cogita- tiones repelleret. Et inter gentes bar- bas, pecudum more, in foridam volupatum ceeno se voluntantes, instar Angeli degeret, pellices dextræ ab- straheret, impuros ad castimonias legi revocaret, in cuius castimonia signum, hodiendum corpus incorruptionis glori- fulgeret.

Hac divina castitas, hac virtus An- gelica in nobis luceat, si alios è cen- cupiamus suo tempore extraheret. In hac firmiter pedem figamus; ne dumili- os ex hac fovea conamur educere ipsi nos pertrahant in profundum.

IV. Quartus Xaveriani sideris radius est, invicta quædam ac heroica Patien- tia, & celitudo sublimitasque animi omnia mundana, prospera aquæ ac ad- versa transcendens. Quemadmodum stellæ, supra mundana omnia elevata, nihil ab his inferioribus pati queat. Stellæ nos patientiam docent, ait S. Au- gustinus in Psalm. 93, citans enim illud Apostoli ad Philip. c. 2, 15. In mediatio- nis prava atque perverse, inter quois uitis, sicut luminaria in mundo: Quantaq[ue] de ipsis luminaribus & luna singuli homines

III.
Castitas.

DE FESTO S. FRANCISCI XAVERII INDIAR. APOST.

& patienter ferunt? Convictia sunt stellis, quid illa! nunquid moverunt aut non exercitent cursus suos? omnia hac & ferunt & tolerant & non moventur. Quare? quia in celo sunt. Sic & homo qui in natione persverfa & tortuosa habet verbum Dei, sicut luminaria est fulgens in celo. Ita S. Xaverius, quanta pro nomine Dei & Evangelio pertulit? quam incredibili magnanimitate, nihil arduum, nihil quantumvis adversum, contrariumve fuit? quot, quantisque persecutiones à Barbaris sustinuit? jam fannis & convitius, jam telis appetitus & saxis: at nunquid ille propterea cursum sibi à Deo ordinatum fit? nunquid à catechizando, evangelizando, ac Baptizando abstinuit? nunquid virtutis, pietatis & zeliviam inchoatam perterritus defecit? sanè convicta, pericula, naufragia, tela & saxa, non ploris astimavit, quam stella facit fannas puerorum, aut Luna latratus canum, sibi dum splendet, totâ nocte oblatrantium.

Urinam è celstudinis, & patientie ascendere liceret, ut conversatio nostra ita in celis esset; ut ad omnia adversa, ad omnia obloquia & contradictiones, velut stellæ in celo, immoti, nec latum unguem à cursu gerflectionis defleteremus, aut detineremur hac ratione, veri viri Apostolici & Xaverii imitatores societas numeraret. Hoc autem necesse est: si vultis animas lucrari: quamdiu parum efficiimus, diabolus in quasi dissimulat; sed ubi primum incipimus magnos animorū quæstus facere, illico ringitur, frendet, concitat, & exicit tumultus, sed patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem.

v. Cantic. V. Phosphori Xaveriani radius est

amor Dei inflammatus, qui vel maximum in pectori apostolico ferreat, ne cesset. Stella duas proprietates continent, lucem & calorem, & r. quidem lucem emitunt. totumque orbem noctu illuminant, idque semper æquali & constanti luce: non est illarum lux veruti lux candelæ, lucernæ aut rædæ quæ sebo, oleo, cerâ alitur, eamque depascitur, eaque depaſta emoritur, sed est statibilis, durabilis & inextinguibilis. Ita S. Xaverius in nocte hujus sæculi, in tenebris Indiae, lucem constantem emilit, dum evangelium annuntiavit, viam virtutis docuit, iter in cœlum verbo & exemplo ostendit, idque æquali animi serenitate, & vultu hilaritate, tam in adversis, quam prosperis. Sunt qui lucent, at virtutem preferunt, ac prædicant, ob lucra terrena, humana & carnalia, quibus cessantibus, velut oleo deficienti lucerna extinguitur. Non sic S. Xaverius, qui Dei amore succensus, non nummos, non lucra terrena, non honores & dignitates, sed unam dilecti sui gloriam spirabat & expetebat, ac propagare fatigebat, semper lucens ut stella, que ex Deo, ipsique Deo reluet.

z. Nec solum stellæ lucem, sed & calorem spargunt & impertinent, unde per eas inferiora hac vivificantur, vegetantur & crescunt. Ita Indiarum Apostolorum divina charitate succensus & ipse ardebat, & alias inflammabat; velut lucerna ardens & lucens: adeò enim incendebatur Dei amore, ut sæpe vultu inflammato, divinitus à terra elevaretur, & quasi in cœlum, ubi erat thesaurus & cor ejus, etiam corpus raperetur, & abundanter charitatis & dulcedinis impar exclamaret: satis est Domine,

E X H O R T A T I O I.

satis est. & audientes ad amorem accenderet.

O lucerna ardens & lucens ! o Stella matutina charitate succensa & rutilans, impetra nobis, ut sumus quoque lucerne & stellæ, ardentes & lucentes : ardentes amore divino, & ad exemplum proximis lucentes, jugiter amantes & suspirantes.

VI.
Zelus ani-
marum.

VI. sextus Xaverianæ sideris radicis est zelus indefessus animarum, ex amore Dei & proximi ortus, habetque agilitatem & promptitudinem ad omnia opera zeli animarum. Stellæ ut docent Mathematici & in primis noster P. Clavins sunt velocissimæ, ita ut stella in aquinoctiali posita hora spatio conficiat 42. miliones milliarum ; deinde ipsa stellarum lux velocissima est, in instanti enim spargitur, & propagat se per totum mundum. Ita S. Xaverius zelo animarum ardenter inflamatus ad opera Dei & lucra animarum velocissimus fuit. Quanta celeritate ex Gallia in Italiam, ex Italia in Lusitaniam, ex Lusitaniam in Indiam, ex India in Japoniam, ex Japonia ad Chinæ finitima provolavit ? quanta alacritate fidem Christi 23. Regnis intulit, decies centena hominum millia ad fidem Christianam convertit, ad tamen diversas regiones, per undecim millium leucarum peregrinationes, per ingetes omnis generis labores, & arumnas, per adversitates, persecuciones & sexenta pericula, sine pecunia, sine famulis, sine amicis, sine omni humano solatio, felicitate penetravit, certus etiam maria natando trahicere, si navigii copia denegaretur.

O Ingens zeli Xaveriani vis ! o invictum animi heroici robur ! quam con-

fudis, teponem nostrum ! quam potenter nos ad zeli opera merito excitas.

Quapropter Charissimi, si ad exemplum S. Indiarum Apolloli desideramus tanquam stellæ fulgere in perpetuas æternitates, 1. cum S. Xavero, instar stellæ cœlo infixi sumus ; ita ut tota conversatio nostra in celis sit. 2.

Instar S. Xaverii, & stellæ, licet magis coram mundo sumus, i parvitate & humilitate tamen nos contineamus, talique habet opemus. 3. Primum lumen castitatis, instar stellæ matutinae ubique spargamus, alias omnis lux nostra obscurabit & in tenebras convertetur. 4. Instar stellarum, terrena omnia prospera & adversa fortis & patienti animo cum S. Xavero transcedamus ; nec magis moveamur, quam stellæ ad latratum canis. 5. Instar stellarum amore divino ardeamus & laeemus cum S. Xavero : Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere patrum, ardere & lucere perfectum. testo S. Bernardo serm. de S. Joanne Bapt. 6. Denique instar stellarum & S. Xaverii ad prædicandum, evangelizandum, catechizandum aliisque, velocias & promptissimi curramus ; ita fieri, ut cum S. Xavero æternum fulgeamus in celis : splendor ille quidem etiam in terris miraculorum gloria, splendor beneficiorum copia, splendor corporis incorruptionis stupenda ; sed vel maxime splendet in cœlesti patria, instar stellæ matutinæ, præ multis Sanctis aliis, corona seu laurea Virginis, Doctoris & Apollonis, ius enim docet Propheta Daniel c. 12.

3. Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas eternitatis.

E X H O R

EXHORTATIO II.
DE S. FRANCISCO XAVERIO.

Ostendit S. Indiarum Apostolum fuisse vas electionis, S. Paulo non absimile.

THEMA.

Vas electionis est mihi iste. Act. 9. 15.

Ebri in sua lingua, quodvis instrumentum, vas nomine indigitant; nam Amos 5. Vasa cantici, vocantur instrumenta musica. Gen. 49. 5. Vasa bellum, nuncupantur arma & armati quibus bellum geritur. Psalm. 7. 14. Vasa mortis, appellantur gladii & tela, quibus mors inferrur hostibus. Vas electionis est igitur instrumentum electum. Talia vasa electa fuere S. Paulus & S. Xaverius. Vasa cantici, seu ut Tigrina vertit Organum resonans Laudes Dei. Vasa bellum pugnantia contra Fidei hostes, infidelitate & peccatum. Vasa mortis Idolatriam extinguentes & ipsi, Ores occisionis in mortibus frequenter, & in vita periculis. Vas elec-

tionis. Vas admirabile opus excelsi. Ita lucidissimum mundi oculum, Ecclesiasticus praeclaro elogio vocat: *Vas admirabile, opus excelsi. c. 50.* Tale vas admirabile fuit S. Paulus, qui de tenebris vocavit in admirabile lumen Dei, Gentes. Tale quoque vas admirabile fuit S. Xaverius, qui Indis in tenebris & umbra mortis sedentibus, fidei lumen ostendit. *Sol quidam hominibus est Paulus,* ait S. Chrysostom. 8 de laudibus Pauli. *Sol orientis vocatur à Francisco Remundo orat. 15. de S. Xav. Xaverius.* O inquit, inauditus portentum! Sol orientis generatur & quidem in occidente.

De hoc ergo vase electionis, de hoc vase admirabili tanquam de Sole & Parelio, de Paulo & Xaverio agemus in praesenti. 1. De electione. 2. De cooperatione, ut imitemur.

II 3 I. Vas

I.
Vas ele-
ctum.

XV

I. Vas electionis est mihi iste. 1. Vas admirabile vas electum ut sol inter sidera S. Paulus, quia Deus illum ex tot millenis hominum milibus, praetate roris, etiam Apostolis, elegit ad Evangelizandum tam Iudeis, quam Gentibus, portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus & filiis Israël; acque ita mox à prima sui conversione apostolicam à Christo dignitatem & gratiam obtinuit. Ita quoque S. Franciscus Xaverius è millenis hominum milibus, præteritis etiam viris societatis electus est ad Evangelizandum tā Europae quam Indis, & portandum nomen Jesu coram Gentibus & Regibus; atque ita, ut loquitur Urbanus VIII. Pont. Max. in Bulla Canonizationis, Novarum Gentium Apostolus, unanimi totius Christiani orbis consensu, meruit appellari. 2. Vas electionis de S. Paulo explicat Hieronymus, vas prædestinationis: fuit enim Apostolus hic ad magnam gratiam & gloriam ab aeterno à Deo prædestinatus; ut ipse insinuat ad Gal. 1. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ab utero matris mee & vocavit per gratiam suam. Idque Christus revelavit anam, act. 9. vas electionis, vas prædestinationis, est mihi iste. Ita quoque S. Xaverius ab aeterno prædestinatus à Deo fuit: ut Deus Maria Magdalena Francisci forori, Gaudie Discalceatarum Virginum antifliti magnâ sanitatis famâ clara revelavit: Xaverium Novi Orbis Apostolum à se constitutum, à quo nomen suum ad Gentes, ultimumque Orientem preferretur. Bulla Canonizationis & Natale in Anno dierum illustr. 2. Dec. Hacque prædestinatione impleta, quando

Dei providentia disponente, P. Bobadilla in moriburn incidente & Maser regna discessum urgente, S. Ignatius coactus fuit Xaverium substituere: P. Daniel Bartholi in vita L. i. n. 5. 3. Vas electionis. S. Chrysostomus exponit de indole vivida, acri & alacri, heroicæ zelosæ, quæ omnes difficultates, persecutions & pericula supereret: Quis in S. Paulo vixit: frigidæ enim & phlegmatici, tametsi sancti, ad audita perspicienda minus sunt idonei. In pariter Deus elegit S. Xaverium, aditque ei, ut refert P. Bartholi in via L. i. n. 1. Magnitudinem animi nobis & crediti, spiritus generosos, & in quevis ardua secundis successibus ituro.

Mirari hic igitur jure possumus singularē Dei providentiam, sicut Paulum, ita Xaverium è millenis milibus eligente, prædestinante, ejusmodi donis & gratiis præveniente, omniamque fortiter & suaviter sic disponente, ut ad propositum sibi finem Gloriarum sua & salutis animarum perveniret. Deinde quis nostrum, si cum quoque mirabilem electionem, prædestinationem, vocationemque intimū perpendat, similem quoque successum felicem non speret? si se totum illi commiserit? Elegit nos ad Societatem, cuius finis est salus propria & aliena, an qui elegit, porrò deseret? prædestinavit nos tam misericordis, an prædestinationem nostram fine suo frustrati permetteret? ornavit tot gratia & natura donis, an ea nos in terram defodiemus? haudquaquam; sed statuimus nos gratiæ divinae cooperaturos; & nos penitus ei gubernandos trademus.

II. Vidimus

Ille. Vidimus vas electionis, quomodo electum; nunc videamus quomodo electioni cooperando responderit. Ego elegi vos, ut eatus, & fructum afferatis, ait eterna Veritas. Celeberrimum encomium de M. T. Cicerone & de Demosthenes Graecorum Oratorum Princeps commemorat S. Hieronymus Epist.

2. ad Neptorian. Demosthenes praecepuit tibi, ne primus es: Tu illi, ne solus. Sic afferere licebit: Paulus Doctor Gentium praecepuit tibi, ne es primus & Xaveri! Tu illi, ne solus. Uterque enim strenue vocationi & muneri Apostolico respondisti. Electi ut Sol. Paulus Sol. Xaverius Patelius, in nube lucida instar solis resplendens, & Pauli, solis colores, lucem & radios virtutum, exacte referens ac representans.

1. S. Paulus vas & instrumentum electum fuit attuans zelo & ardore proprii perfectionis: ita ut meritò de illo dixerit D. Thomas in Praefat. in Epist. Pauli; quod de Simone dixit Ecclesiasticus; *Vas auri solidum omni lapide pretioso ornatum.* c. 50. 10. Utque ipse explicat, vas aureum ob sapientiam, solidum ob charitatem, ornatum ceteris omnibus virtutibus. Idem sanè de S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo dicere licebit: *Vas auri solidum, omni lapide pretioso exornatum;* quo se ad munus Apostolicum adornaret. 1. Fulgit in S. Paulo tanquam sole splendens radius seu in aureo vase lapis pretiosissimus, puritas animi & conscientiae: dum dicere auit: Nihil mihi conscientia sum. Fulgit quòdque in S. Xaverio, qui quotidie conscientiam examinabat, & si licet, Sacramento Pénitentiae, emun-

dabat. Tursellinus in vita L. 6. c. 13. 2. Fulgit in S. Paulo virginalis castitas, ait enim: de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: & volo omnes esse sicut meipsum. 1. Corinth. 7. Fulgit eadem in S. Xaverio; ita ut in somnis etiam impuram imaginationem à se abjecerit. 3. Fullit in Paulo Pénitentia: ait enim: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* 1. Corinth. 9. Fulgit in Xaverio; qui humi cubabat & corpus ad sanguinem usque flagellabat. 4. Fulgit in Paulo paupertas, nihil habentes & omnia possidentes. Argentum & aurum aut res nullius concupiri. Act. 20. Fulgit quòdque eadem in Xaverio, hinc Rege Lusitanæ multa offerenti, nihil acceptare voluit, non pecuniam, non servum. &c. Solōque brevior & baculo munitus iter Indicum aggressus. Bartholi L. 1. n. 32. 5. Fulgit in Paulo Humilitas: *Ego inquit sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* 1. Corint. 15. 9. Fulgit quòdque eadem in Xaverio, ut cum Legatus à latere esset, vilissimi tamen quibusvis se subjeceret, stabula & equos curaret; omnibus instar famuli serviret. Barth. L. 1. n. 8. 6. Fulgit in Paulo temperantia & abstinentia; dum ait: *Usque in hanc horam & esurimus & satiim.* 1. Corinth. 4. 11. Abstinentium fuisse & nunquam vinum bibisse cenfet Baronius Anno Christi 36. & alii. Fulgit quòdque hæc in Xaverio, qui ut in horis de eo legimus, Interdicto sibi non carnis solum & vini, sed panis quòdque triticei usu, vilibus cibis vesci solitus, per biduum subinde triduumque omni prorsus alimento abstinevit.

nuit. 7. Fulsit Paulus virtute patientiae; Exhibeamus nos metipos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in angustiis, in plagiis, in laboribus, in vigilis, &c. 2. Corinth. 6. 4. Fulsit quodque eadem Xaverius, in heroicis laboribus, in itineribus, in calumniis, in periculis, in morbis gravissimis. 8. Denique fultus charitate Dei & proximi S. Paulus: Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque vita, neque mors, neque alia creatura. Rom. 8.3. 9. Fulsit eadem in S. Xaverio, quæ ita eum accendebat sapientia, ut vultu inflammatu, oculis in cœlum defixis à terra elevaretur, quasi in cœlum (ubi cor eius & thesaurus erat) raperetur, & exclamaret, non valens sustinere dulcedinem divi amoris, Satis est Domine satis est. In vita. Et in his virtutibus conabatur de die in diem proficere, cum Apostolo: Dicens: Ego non arbitror me comprehendisse, unum autem, quem retrosum obliviscens, ad amorem extendo meipsum.

Atque hæ sunt virtutes, quibus viri illi heroicæ ad Apostolatum se præparabant: volumus & nos suo tempore Apostolicam aufpicari vitam, imitemur: acclamat Paulus, acclamat nobis Xaverius: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ämulamini charismata meliora. Sic currite, ut comprehendatis.

III. Postquam vas electionis hac ratione virtutibus exornatum & liquore divini amoris repletum fuit, eundem effudit in proximum. Uterque enim zelo animarum correptus profligis incredibili, qui pectus illorum calcatis instar

fodicabat ad laborandum, ad predicandum, ad baptizandum, ad absolvendum, ad catechizandum, ad fidem & Evangelium propagandum ubique terratum, ex hac enim virtutum luce ardor ingens zeli exortus est. Hinc 1. Apostolus Paulus: Gratia ejus vacuata me non fuit, sed abundantius omnibus laborauit. 1. Corinth. 15. 10. Ita quoque Xaverius nullus illi labor sufficiebat: clamabat amplius, amplius. Labor & amorum Gemelli, ait Plato, quia quem qui amat, pro eo laborat, nec ullum pro-mato laborem recusat. Xaverius tota dies laborabat in vinea Domini, nocte dabat orationi; tantum laboravit decennio, ut integro sæculo sufficeret. Cum Apostolo Paulo dicebat: Charita Christi urget nos, zelus domus tue admittit me. Instar foliis Regna & Provinceas illustrans, instar ignis omnia succendens, igne divini amoris & zeli animarum. De hoc zelo Xaveriano scribit S. Franciscus Salesius L. 6. de amore Dei, ult. in fine: ille magnus, & magnus Sanctus, Deinde intimus amicus Franciscus Xaverius, Societas IESU Secundus ita magnus & perfectum habuitanum animatum, ut qui illum addisciverit, Xaverium tantum gestu considerandus, prout tot illustria Societatis lumina, gloriose fecerunt, qui ab hoc igne saepe sunt. Ita est S. Xaverius, magnus V, magnus Sanctus, quia zelus animarum verus & perfectus, summa perfectio & sanctitas est: neque enim potest esse magnus zelator, nisi sit etiam magnus Sanctus & intimus Dei amicus. Quare lo immenso animarum corceptus, com Rego

III.
Vas efflu-
sum.

Rege Sodomorum non ab Abrahamo exigit S. Ignatius etiam à Novitiis jam victore, sed à Deo postulabat: *Dæ hinc in ratione conscientia interrogantur, quem in se experiantur zelum animarum. Hinc 1. p. const. c. 3. §. 1. &c in Epist. 2. n. 10. S. Pater exigit ab iis, qui ad Societatem in spiritualibus juvandam admittendi sint: ut universæ virtutis & perfectionis studiosi sint, qui etiam constantes ac strenui sint, in iis quæ ad divinum servitium pertinent, aggrediendis; quicquid zelum animarum habeant, & ea de causa ad nostrum Institutum (quod ad eas juvandas & disponendas ad ultimi sui finis de manu Creatoris nostri ac Dei consecrationem recta tendit) sint affecti.*

Vidimus, Dilectissimi, Paulum & Xaverium. Pauli imitatorem tanquam duos soles, aut certè tanquam solem & parelium similibus virtutum radiis coruscantes, paribus zeli ardoribus attestantes: de quibus illa meritò Senecæ verba utipemus: *Eece spectaculum dignum ad quod respicit operi suo intentus Deus! Eece per dignum Deo viri fortes, &c. Quare, cum divina Bonitas nos, non secus atque S. Paulum & Xaverium, ad vitam Apostolicam elegerit, prædestinari, vocaverit, talentique nonnullis instruxerit; 1. Hos geminos Sanctos, pro modulo nostro imitari studeamus, & gratiam Dei vacuam esse in nobis minimè hinamus. 2. S. Paulum vas electionis & S. Xaverium, in studio perfectionis amulemur, & puritatem cordis, castitatem, humilitatem, patientiam, charitatem, ceteraque virtutes solidas obtinere satagamus, hac ratione apta vasa belli, apta organa Spiritus Sancti, apta ad animas Deo l-*

K k crandas

grandas instrumenta evademos. 3. Cum
hunc sanctis Apostolis radios, ignesque
zeli conceptos in proximum effundamus,
illorumque verbo & exemplo accen-
damus, ut & ipsi evadant vas a electio-

nis, vasa gratia, ac denique vasa rega-
na gloria, quae nobiscum & cum Ele-
ctis omnibus Deum O. M. laudet
ac glorifcent in perpetuas aeternitas.
Amen.

EXHORTATIO I.

PRO FESTO

S. FRANCISCI BORGIAE,

Ostendit, quod mors Imperatricis Isabellae, sit mors mystica
Borgiae.

THEM A.

*Semper mortificationem JESU in corpore nostro circumse-
rentes. 2. Corinth. 4. 10.*

Verissimè dixit Eccle-
siastes c. 7. 3. Melius
est ire ad Domum lu-
cubus, quam ad Domum
convivii: Rationemque
dicti sui illico
subiungit: In illa enim (quisque) finis
cundorum admonetur hominum, & vivens
cogitat, quid futurum sit. Quia scilicet in
illa exspectaculo funeris, homo mortis
sua admonetur, cogitatque, se quaque
propediem funus futurum; & ideo ad
id bonis operibus incumbendo se dispos-
nit: in hac verò deliciis, vinis, gaudiis, &
sermonibus vanis dissolvitur animus,
atque ad crapulam, levitatem, & in-
temperantiam impellitur. Hujus sen-
tentiae veritatem expertus est S. Bruno
in funere Doctoris Parisiensis, audiens

eum in feretro surgentem & proda-
mantem: *Justo Dei iudicio accusatus, pa-
dicatus & condemnatus sum: In eremum
secessit, Ordinemque Carthusianum
instituit. Eandem veritatem expertus
est Josaphat Rex, visis agri & sensu-
bus brevi moriturus; ab iis discens, ibi
quaque esse moriendum, à Barlaam ad
veram fidem, & vitam Eremiticam et
traductus. Ut narrat Damascenus in
Hist. c. 5. Eandem veritatem compo-
bavit S. Franciscus Borgias, Gaudia
Dux, ac postmodum Societas JESU
tertius Praepositus Generalis; quex
conspicto cadavere Isabella Imperati-
cis feedè commutato, statuit mundo
mori ac Deo vivere. Atque ita mors
Isabellae mors fuit Borgiae. Quod in hac
exhortatione declarabimus.*

I. Mo